



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

§. VII. De Causis Negativis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

§. VII.

De Causis Negativis.

Resp. I. **E**X communi negativè cooperantes ad damnum, sunt ii, qui non impediunt damnum, cum impedire rationabiliter possunt, & tenentur ex Justitia. Tenentur autem ex Justitia, qui tenentur ratione officii, muneris, vel contractûs; ut Superior, Princeps, Dux belli, Magistratus, bonorum Administrator, Pater, Tutor, Curator, famuli, custodes pecorum, agrorum, &c. & alii stipendio conducti. Non impeditur autem damnum tripliciter. 1. Tacendo, id est, non reprehendendo, non dissuadendo, non prohibendo, non clamando, &c. 2. Non obstando, id est omit-tendo subsidium, custodiam, opem vel operam ad impediendum damnum. 3. Non manifestando damnificatorem Domino, sive ante, ne fiat, sive post damnum factum, ut refarciatur, aut etiam non monendo ipsum damnificatorem de obligatione restituendi.

Itaque ex communi sententia, qui tenentur ex officio, vel contractu, aut quasi contractu impedire damnum alterius, si negligent impedire, peccant contra Justitiam, & tenentur illud refarcire; quia censentur causa moralis, & iniusta damni: nam hoc ipso, quod tenentur ex officio, vel contractu impedire damnum alterius, hic habet Jus, ut damnum eius impediant; ac proinde si negligent impedire, faciunt

ciunt

ciunt ei iniuriam damnosam. Et verò alter
 damnum patitur ob omissionem operæ ex
 Justitia debitæ ad illud impediendum, ideó que
 ob iniustitiam illorum: nam si hi fecissent id
 ad quod ex Justitia tenebantur, alter non pa-
 teretur damnum, quod proinde illis meritò
 imputatur.

Hinc ad restitutionem tenentur Principes,
 & Magistratus, & belli Duces, si non impediunt
 latrocinia, & iniurias subditorum: nam ex Justi-
 tia tenentur conservare jura, & bona subdito-
 rum: reditus enim, quos habent, sunt stipen-
 dia ad hoc instituta: idem dic de Judice & Ca-
 nonico, qui sine justâ causâ absunt, dum præ-
 vident aliquid iniquum esse gerendum, nam
 ex officio illud impedire, & contradicere te-
 nentur.

Resp. II. Qui solùm ex charitate tenetur im-
 pedire damnum alterius, si non impediatur, cum
 sine magno incommodo potest, peccat qui-
 dem contra charitatem; sed *ex communi* non
 tenetur ad restitutionem: quia non peccavit
 contra Justitiam; nec censetur causa iniusta
 damni, cum alter non habeat Jus, ut damnum
 eius impediatur. Secus, si quis positivè confe-
 rat ad damnum proximi; is enim teneretur de
 damno, nam quilibet habet Jus, ne quivis alter
 ad damnum eius positivè cooperetur, cum ha-
 beat Jus, ne ei inferatur damnum, sine iusta
 causa, & auctoritate.

Hinc ad restitutionem tenetur I. Qui à fure
 pecu-

pecuniam accipit, ne clamet, ne indicet, vel id promisit gratis, quamvis damnum ex sola charitate impedire teneatur: quia hoc promissio furem animosiores, ac securiores reddit, & sic positivè concurret ad damnum. 2. Qui obligatum ex officio ad clamandum, vel impediendum, quovis modo impedit: nam iniuste impedit usum Juris, quod habet tertius, ut is clamet. 3. Qui clamare, vel obstare volentem, licet ad id ex Justitia non obligatum, impedit per vim, vel dolum; nam quisque habet Jus, ne quis eius defensionem, & bonum impediatur per vim, vel dolum, aliãve viam iniustam.

Sed ad quid tenentur Custodes agrorum, vinearum, sylvarum, si non impediunt damnum, vel non manifestent damnificatores, ut resarciatur?

Resp. Peccant contra Justitiam, & Religionem: quia agunt contra officium vel pactum, & Juramentum; tenenturque resarcire totum damnum. *Est communis.* nam ex officio, vel pacto tenentur suã custodiã, & delatione Dominum loci illãsum servare.

An autem teneantur restituere multas, quas Domini acciperent ex delationibus, si non deferant? Multi negant; quia, hi custodes constituuntur, non ut Domini locupletentur ex lucro pœnarum; sed ut custodiant rem commissam, & impediunt damnum; nec tenen-